

fideliter requiramus, & post baptismum cum ipsius adiutorio ea quæ sibi sunt placita implere possimus. Vnde manifestissime credendum est, quod & illius latronis, quem dominus ad paradisi patriam reuocauit, & Cornelij Centurionis, ad quem angelus domini missus est, Zachariæque qui ipsum dominum suscipere meruit, illa tam admirabilis fides non fuerit de natura, sed diuinæ gratiæ largitate donata.

Luc. 23. f.

Actu. 10. 4.

Luc. 19. 4.

Hoc est ultimū capitulum horū triginta, quæ mihi uidentur addita ex cōcilio Mileuentano. Nā quædā citat Gratianus, quæ sequuntur erant in uetusto codice.



## DE SACRAMENTO BAPTISMI. CAPVT LII.



**B**aptisma unum est: sed in ecclesia, ubi una fides est: ubi in nomine patris & filij & spiritus sancti datur. Et ideo si qui apud illos hæreticos baptizati sunt, qui in sanctæ trinitatis confessione baptizant, & ueniunt ad nos, recipiantur quidem quasi baptizati, ne sanctæ trinitatis inuocatio uel confessio annulletur: sed doceantur ante & instruuntur, quo sensu sanctæ trinitatis mysterium in ecclesia teneatur: & si consentiunt credere, uel acquiescunt confiteri, purgati iam fidei integritate confirmantur manus impositione. Si uero paruuli sunt, uel hebetes, qui doctrinam non capiunt, respondeant pro illis qui eos offerunt iuxta morem baptizandi: & sic manus impositione, & chrismate cōmuniti, eucharistiæ mysterijs admittantur. Illos autem qui non sanctæ trinitatis inuocatione apud hæreticos baptizati sunt, & ueniunt ad nos, baptizari debere pronunciamus, non rebaptizari. Neque enim credendum est eos fuisse baptizatos, qui non in nomine patris & filij & spiritus sancti iuxta regulam à domino positam tincti sunt, ut sunt Pauliani, Procliani, Borboritæ, Siphori, qui nunc uocantur Bonosiani, Fotiniani, Montani, & Manichæi, uariata impietatis germina: uel cæteræ istorum originis siue ordinis pestes, quæ duo principia sibi ignota introducunt, ut Cerdon & Marcion: uel contraria, ut Manichæus: uel tria & barbara, ut Fetianus & Theodosius: uel multa, ut Valētinus: uel Christum hominem fuisse absque deo, ut Cerinthus, Hebion, Arthemon & Fotinus. Ex istis inquam si qui ad nos uenerint, non requirendum ab eis utrum baptizati sint an non, sed hoc tantū, si credant ecclesiæ fidem. Et baptizentur ecclesiæ baptismate.

Ephē. 4. b.

Math. 28. d.

De cōse. dis. 4. c. hī qui apud.

Aliās Theodotus.

## DE EVCHARISTIA. CAPVT LIII.



**Q**uotidie eucharistiæ communionem percipere, nec laudo, nec reprehendo. Omnibus tamen dominicis diebus communicandum suadeo & hortor, si tamen mens in affectu peccandi non sit. Nam habentem adhuc uoluntatem peccandi, grauari magis dico eucharistiæ perceptione quàm purificari: & ideo quamuis quis peccato mordeatur, peccandi non habeat de cætero uoluntatem, & communicaturus satisfaciatur.

De cōse. dis. 2. c. quotidianie. 4. sentē. dis. 12. c. institutum est.

Ec 4 faciat